

1482 stagna , rivi , nemora , campi & loca ad venandum
 quasita . Circa hos muros , qui non multum a flu-
 mine recedunt , Venetus primo confedit ; novusque
 interim pons , ac priore illo firmior , Pado est im-
 positus . Onerariæ naves , anchoris superiore parte flu-
 minis ferrea catena , ne recidi possent , dejectis , ordine
 ab una ripa ad alteram primo dispositæ , inde trabibus
 inter se commissis ab utraque parte compactæ , lapi-
 dei pontis speciem sua firmitate præbuere . Omnige-
 num rerum venalium tabernæ dextra lævaque constitu-
 tæ , aquarum prospectum transeuntibus adimebant : pon-
 tes ad id peniles eas mediis aquis velut in insula
 quadam , postea quam sublati erant , statuebant . Et
 ne pons ab hoste nocturno solveretur incendio , ducen-
 tos inde passus codices anchoris suspensos , ferreis un-
 cis prominentibus , fluvio objecere , qui ardentem ma-
 teriam superne dimissam remorarentur , donec prorsus
 extincta esset , aut omnino consumpta . Ponte flumi-
 ni imposito , Severinas , refracto muro , per Parcum
 ipsum quadrato agmine ad mille passus Ferrariam ade-
 quitavit . Hic quum in acie ante urbem stetisset , nec
 ab hoste moveretur quicquam , copias in castra redu-
 xit . Conversus inde Venetus ad præsidium , quod hos-
 tes juxta flumen reliquerant , muniendum , majorem
 amplexus aream , fossa vicenum pedum profunda aquis
 lateribus producta , circumquaque illi aggerem cum pro-
 pugnaculis & pinnis ad hostem procul summovendum
 imposuit : opus sane inexpugnabile , ac nisi pax illud
 sustulisset , perpetuus Ferrariæ terror . Rebus hac quoque
 parte firmatis , hostium portis Venetus ociose adequi-
 tat , omnia trepidationis & metus complet . Qui in
 urbe erant , pontem propinquo loco , præsidium pro-
 pinquiore intuentes , uno ore omnes publicam priva-
 tamque fortunam deplorare : actum dicere de Herculis
 principatu , actum de Ferrariensium salute ; vulnus jam
 intra viscera adactum , venenumque ad præcordia per-
 venisse ; nunquam amplius a Veneto sperandam pacem ,
 qui